



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum  
Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

27 Oratio D. Thomæ Aquinatis studio litterario fructuose præmittenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](#)

INSTITUTIONVM LIB. I. III  
CAPVT XXVII.

O RATIO D. THOMAE A QVINA-  
tis, studio literario fructuosè præmittenda.

**C**reator ineffabilis, Domine meus, & Deus  
meus, qui de thesauris tue sapientie noue An-  
gelorum choros condidisti, & eos super cælum  
Empyreum miro ordine collocasti, atque elegantissi-  
mè partes Vniuersi distribuisti: tu, inquam, qui versus  
fons lumen & sapientiae diceris, atq. supereminens prin-  
cipium; infundere digneris, super intellectus mei tene-  
bras, tue radium claritatis; duplices à me remouēs te-  
nebras peccatum scilicet & ignorantiam, in qua na-  
tus sum. Tu qui linguas infantum facis disertas, lin-  
guam meam erudias, atq. in labiis meis gratiam tue  
benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen,  
retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, ad-  
discendi facilitatem, & loquendi gratiam copiosam;  
ingressum instruas progressum dirigas, egressum com-  
pleas. Per Christum Dominum, &c.

ALIA ORATIO, QVAM B. THO-  
mas quotidiè flexis genibus recitasse dici-  
tur, diuinæ sapientiæ studio apprimè  
conducibilis.

**C**oncede mihi quæso omnipotens & misericors  
Deus, que tibi placita sunt, diligenter & arden-  
ter concupiscere, prudenter inuestigare; veraciter agno-  
scere; & perfectè adimplere. Ad laudem & gloriam  
nominis tui ordinastum meū: & quod à me requiri-  
ris ut faciam, tribue ut sciām, possim, & velim; & da  
exequi ut oportet, & expedit saluti anime meæ. Via  
mihi, quæso, ad te sit tutæ, recta, & consummata, non  
H 5 defi-

deficiens inter prospera & aduersa, ut in illis non extollar, & in istis non deprimar; ut in prosperis gratias tibi referam, & in aduersis seruem patientiam.

De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod promoveat ad te vel quod abducatur a te. Nulli placere appetam ut dispergere timeam, nisi tibi. Omnia in charitate da facere, & quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare. Actiones meas da peragere non ex confusitudine, sed ad te referre cum deuotione.

Vilescat mihi omnia trahitoria propter te. & chara sint mihi omnia tua; & tu Deus meus plus quam omnia. Tedeat me gaudij, quod est sine te; nec cupians aliquid, quod est extra te. Delectet me omnis labor, qui est pro te; & tedium sit mihi omnis quietus, que non est in te.

Frequenter & feruenter da mihi dulcissime Domine cor meum ad te dirigere, & affectionem meam, cum emendationis proposito, dolendo pensare.

Fac me Deus meus humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine deiectione, maturum sine grauitate, agilem sine levitate, veracem sine duplicitate, te timentem sine desperatione, in te sperantem sine presumptione, castum sine corruptione, proximum corripere sine indignatione, diligere sine simulatione, ipsumque edificare verbo & exemplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione. Da mihi dulcissime Iesu cor peruigil, quod nulla abs te abducatur curiosa agitatio: da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da inuictum, quod nulla fatiget tribulatio: da liberum, quod nulla sibi vendicet violeta delectatio: & da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Lxxv.

INSTITUTIONVM LIB. II. 123

Largire mihi dulcissime Deus meus, intellectum  
te cognoscentem, diligentiam te querentem, sapien-  
tiam te insuenientem: conuersationem tibi placentem;  
perseuerantiam te dulciter & fiducialiter expectan-  
tem, fiduciam te feliciter amplectentem: tuu pœnisi-  
configi per pœnitentiam; tuis beneficiis in via uti per  
gratiam, & gaudius tuis in patria frui per gloriam.  
Amen.

## CHRISTIANARVM

INSTITUTIONVM

LIBER II.

CAPVT I.

REMEDIA AD ORTHODOXAM  
fidem conseruandam.

**P**RIMO, humilitate ex animo  
colere. Sicut enim impossibile  
est haereticum non esse super-  
bum, ut qui iudicium suum to-  
tius Ecclesiæ iudicio præponit:  
ita fieri non potest, ut humiliis labatur in hæ-  
resim, nisi humilitatem abiiciat. *No veniat mihi pes superbiae, & manus peccatoris non moueat me: ibi ceciderunt, qui operantur iniquitate: ibi, hoc est, in pede superbiae, ait D. Augustinus.*

2. Frequens usus Sacramentorum Pœnitentiae  
& Eu-